

que amici vtilitate quæreretur, prona & facilis definitio est, præponderante multum honestate rebus omnibus, in proposito autem perinde est, & si parua auri lamina, magno æris ponderi comparetur. Genere enim & qualitate superat quantitatem, consequenter & pretio vincitur: Hæc Theophrasti pro vſu vitæ communis (nisi fallor) satis probabilis, & colazata sententia est, aliis contra fortasse videatur, vt libet quisque pronunciet. Mihi autem quod ad hunc locum attinet, sapientum atque illustrium quatuor Philosophorum sententias, seruato interim magisterij atque successionis ordine, explicuisse sufficit. Deinceps per paucorum qui restant nomina, qua fors impulerit vagabor.

ISOCRATES.

ISocrates in conuiuio, ab his qui aderant rogatus, vt eis de eloquentia sua communicare vellet, veniam poposcit: Quæ enim præsens locus & tempus exigit, inquit, ego non calleo, quæ ego calleo nec loca sunt aperta nec temporis. Sapienter. Stultum est enim, non intellectu ris, aut quod dixeris spreturis verba iactare. Inter ebrietatem igitur & iocos serij homi-